

Oratio academica habita Genevae a Iacobo Vernet, [...]

Autor(en): **Vernet, Jacob**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1751)**

Heft 23

PDF erstellt am: **09.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394700>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

ORATIO ACADEMICA

habita Genevæ

a

JACOBO VERNET,

Hum. Litt. & Hist. Professore,

An. 1751.

QUÆSTIO proposita a J. A. Turretino,

Human. Litterarum Studiofo.

IN bonarum Artium studio decurrebam satis alacriter, atque ex hoc gradu ad altiorem mox transiturus gaudebam, quando remora mihi admota est, animusque propemodum fractus ex jactato nuper libello, (a) quo Scriptor contendit per artes & scientias in Europa ante duo sæcula inflauratas, nedum quidquam bonæ frugis ad vitam conferatur, corrumpi potius ingenia moresque pessum ire. Quod si ita sit, quid agimus nos infelices pueri, aut quorsum tanto labore ea addiscimus, quæ, ut cum Seneca loquar, dediscenda erant si scires? Eo autem magis commovet

(a) *Discours* qui a remporté le prix à l'Académie de Dijon, l'an 1750. sur cette Question proposée par la même Académie: *Si le rétablissement des Sciences & des Arts a contribué à épurer les mœurs.*

movit me illa invectiva, quod non modo sententiarum acumine & nescio qua dicendi audacia splendet, sed nititur etiam argumentis & exemplis historicis. Quin & plausum palmamque retulisse dicitur in Academia non incelebri; unde iusta oritur suspicio eas viles esse merces quas ipsi mercatores vilipendi sinunt.

Tristis ergo & anxius, Te convenire, Vir docte, volui, palamque te interrogare, eo fine ut si litteris tantum inest veneni, ab earum studio me sodalesque meos candide deterreas: Si vero Musæ castæ sint & inculpatæ, eas nunc ab illato crimine liberares, mihi que illarum cultori scrupulum omnem animo eximas.

RESPONSIO Professoris.

Non est quod ista quasi procella tuum discendi impetum frangat cursumve tuum ullatenus moretur, Adolescens ornatissime mihi que omni titulo diligende. Nam primo quæ te movet auctoritas Academiæ huic Orationi lauream concedentis, istud, crede mihi, non tam de rei ipsius veritate quam de verborum concinnitate, fuit iudicium. Quid enim? num valedixit Musis Academia suumve protinus rupit institutum? Atqui id omnino agendum erat si aliquid esse roboris putaret in ea Causa de qua sciscitaris; Neque viri probi de re litteraria ulterius agere inter se & colloqui sustinerent, si litteras esse vitæ humanæ corruptrices arbitrarentur. Proinde nihil serio factum credas. Ludunt Iudices & ingenio nimium indulgent. Fortasse & ludit Orator, cum eas artes quas respue-

re videtur, ipse admittat, scribendique ac disputandi scientiam impugnet oratione non rustica, non incompta, sed artificiosa valde, & nullis non pigmentis adornata; unde profecto incurrit in illam Quintiliani reprehensionem: „*Quidam vehementer in utilitatem Rhetoricæ invehi solent, & quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi viribus.*„ (b)

Si autem quibus utitur argumenta perpendas, eum idem peccare reperias quod fere peccant Caufidici, causæ suæ partem ostentantes, alteram celantes, plusque a fronte polliciti quam in recessu præstare ac re ipsa probare possunt. Quanto rectius ac temperatius idem olim argumentum tractabat ex hoc loco Rectorem agens ὁ μακαρίτης avus tuus JOHANNES ALPHONSUS TURETTINUS, vir eruditione & facundia magnus, judicio & sapientia etiam major; quamdiu vixit, præsidium ac dulce decus meum. Is sub finem Orationis *de sæculo decimo septimo erudito*, vitia quidem litteratorum notabat, simul autem remedia subjiciebat. Non ille de tollendis studiis, sed *de emendandis ac promovendis*; non ille tantum de vanitate scientiarum, sed *de vanitate & præstantia conjunctim* atque una Oratione dixit, cavens nimirum ne rei optimæ abusus usum tolleret, neve propter fyrtes ac scopulos homines a navigando deterreantur. Quare auctor tibi sum, ut, me omisso, avitos potius libros consulas. Hic tibi OEdipus dubia optime solvet.

Sic

(b) Inf. Orat. L. II. c. 17.

Sic INSTABAT Discipulus.

Honestum frustra effugium quæris, Vir reve-
rende; & Te quandoquidem teneo, haud dimit-
tam. Namque, etsi de proposita controversia
non pauca in orationibus avi mei legantur, vel-
lem tamen [quod ille nequaquam fecit] excuteres
saltem exempla historica quibus Orator nuperus
causam suam fulcire videtur. Quippe Scythas,
rudes artium, justitiæ amantes, laudat Justinus.
Idem de priscis Germanis ac de Spartanis refertur.
Athenienses vero & Romani, quo tēpore do-
ctiores, eodem pejores facti. Nostrum pariter
ævum, ex quo scientiarum lux adfulsit, in pejus
abire videmus. Quid ad ista respondeas equidem
scire aveo, totaque panegyris, ut spero, non
invita audiet.

RESPONSIO altera Professoris.

Instanti tibi atque urgenti satisfacere, si possum,
debeo, Ingenuæ Adolescens; non tamen absque
præmissa observatione, quod olim (c) a malis
adversus disciplinas conjurabatur, nunc idem fiat
sub specie honestatis: tum quod multi jam scri-
bant Rhetoresque agant qui nullis Logices præ-
ceptis tincti unquam fuere; unde fit ut plus ver-
borum splendore quam rerum pondere valeant.
Cui malo non aliud est præsertim remedium quam
si methodo Dialecticorum agamus, qui definiendo,
dividendo, dissecando, Sophistarum nebulas
discutere solent.

Z 4

Quæro

(c) Seneca L. II. Ep. 14.

Quæro igitur ante omnia, num melius beatius ve foret, si extincta illa quam Deus nobis indidit sciendi facultate & cupiditate, pecudum more viveremus? hoc tam inhumanum ne quidem vagus inhospitalis Libyæ incola aut qui gelidum Tanaim bibit, affirmare audeat. Profecto homines oportet esse religiosos, sociabiles, honestos, prudentes & ad paranda sibi vitæ subsidia industrios; quæ omnia sine aliqua doctrina & institutione obtineri nequeunt. Ergo contra disciplinas universim sumtas declamitare nihil adinet, quandoquidem multas esse necessarias, & auspice Deo feliciter inventas, ideoque sedulo retinendas & diligenter colendas in confesso est.

Rursus quæro quid sit scientia? Est veri notitia, vel saltem indagatio. Quid ais? Est ratio facile & accurate ea conficiendi quæ ad usum vitæ humanæ pertinent. Jam vero illud tam pulchrum, tam naturæ nostræ congruum, quod & mentis & corporis facultates exercet, quodque desidiam tam exitialem morbum, pellit; illud, inquam quid secum afferat veneni aut quomodo integritatem vitæ corrumpere possit, non video. Profecto veri notitiam cum recti amore Natura conjunxit; nec immerito Salomoni idem qui malus est, insipiens ac stolidus dicitur, quoniam plerique ideo peccant quod nec rerum naturam nec præterita aut consequentia satis perspiciunt.

Singularem vero disciplinarum indolem ac scopum si attendas, ad utilia simul & honesta spectare videbuntur. Theologia quid spirat nisi reverentiam Dei & vitæ sanctimoniam. Quid præcipit

cipit Jurisprudencia nisi jus suum cuique reddendum? Vitæ sobriæ commoda demonstrant Medici. Virgilio dicitur ille

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Historiam vocat Tullius *Magistram vitæ*, quatenus alienis nos exemplis de sapiendo admonet. Idem summam omnem Philosophiæ ad bene vivendum referebat. Nec aliter judicat Horatius: Ep. l. l. v. 33.

*Fervet avaritia miseraque cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? Sunt certa piacula, quæ te
Ter puro lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est qui non mitescere possit,
Si modo culturæ patienter præbeat aurem.*

Unde vides disciplinas, quantum valeant ad purgandum intellectum, tantundem valere ad voluntatem purgandam sanandamque & cum omnia scire perfectio sit divina, quo plura homo scire potest, eo fieri Deo similiorem.

Atqui non desunt qui discendo & docendo vera falsis misceant ingenioque lasciviant. Dolendum, sed quid inde? Num quod hominum vitium est, hoc disciplinis vitio vertetur? Tolle igitur alia etiam optima quibus homines abuti contingit. Hallucinantur haud raro docti; Sæpius vero semi docti; Sæpissime autem indocti. Nam etsi populum suæ ruditati ac inscitæ permittas & relinquas, non idcirco a judicando vel opinando

abstinebit; ea enim est mentis humanæ indoles ut immota & quasi otiosa manere nequeat. Ergo plebs ignara falsis utetur judiciis, pravisque imbuetur opinionibus, ac cuilibet nebuloni patulam aurem præbebit, nisi adsint viri docti qui meliora propinent.

Nec eruditi vitiis carent. Esto. Sed illam quamcunque labem, non ab eruditione sua contrahunt, nec quisquam ideo fit improbus quod doctus; Sed cum improbus esset, etiam doctrina abutitur, quemadmodum æger stomachus cibos salubriores vitiare & corrumpere solet.

Libidini suæ servire interdum litteratos, deprehendimus. Quasi vero non rueret effusus in libidinem ignarum vulgus, nec videremus homines imperitos sus deque ferri, & nunc impietatis, nunc pravæ superstitionis, nunc iracundiæ, nunc aliarum cupiditatum cæco impetu abripi. Hic mihi trutinam adferri vellem, qua utriusque rei commoda vel incommoda æqua lance perpendantur. Videres quanto plura & graviora ex universalis ignorantia & credulitate nascantur mala quam ex aliquot doctorum nævis.

Illos autem doctorum nævos, qualescunque sint, non alii melius redarguunt atque eluere conantur quam ipsi docti. Sic candide & sedulo admonent in tractandis disciplinis aliquem esse modum servandum cauteque procedendum, ne scientia in *ψευδώνυμον γνώσιν*, [ut loquitur Paulus] vertatur. Explode, [per me licet] sciolos illos qui scribendi pruritu tam vana blaterant. Apage
impios,

impios, impuros, nugivendulos, contentiosos disputatores. Sperne illos quotcunque sunt non docti, sed doctorum limii. Ejice eas artes quæ sunt turpium voluptatum ministræ. Quibus autem ut loquitur Cicero, (d) aut prudentia major inest aut non mediocris utilitas quæritur, ut Medicina, Architectura, & doctrina rerum honestarum, iis suam laudem manere integram atque ilibatam æquum ducimus.

His circa thesim ambiguam prænotatis, jam ad exempla historica, quemadmodum rogas, accedamus.

Exemplis ab Historia petitis firmare suam sententiam, modo id fiat cum ratione & delectu, pulchrum est, Auditores. Verum si absque discrimine & judicio exempla congerantur, ibi quoque multum fallaciæ latere posse deprehendetis.

Obj. Scythas, Germanos aliosque populos laudavere antiqui, rudes tamen artium valdeque ignaros.

℞. Cave, quæso, ne impingas in paralogismum, quem Logici vocant *non causæ pro causâ*. Scilicet illi seu Scythæ seu Germani opibus carebant, quas Ovidius dicit esse *irritamenta malorum* & Flaccus *Summi materiam mali*. Ergo illis, non ignorantia sed pauperies, aliquot virtutum mater extitit. Verum eosdem per ruditatem & in-

scitiam,

(d) Cicero de offic. l. I. c. 42.

scitiam in plura vitia lapsos reperias; erant enim truculenti, feroces, victimis etiam humanis Deos placantes, arrogantes, scdisragi, ab honesto jure in multis recedentes, latrocinii & rapinarum cupidissimi. Inspice & alias nationes quotcunque nobis *barbaræ* dicuntur. Etsi nonnulla apud eas laudabilia sint, nihil tamen te pigeat in his potius quam illis terris natalem duxisse auram; nec ipsum credam tam morosum gentis suæ censorem apud Tartaros vel Iroquenses quam inter Francos habitare malle.

Quando autem Spartanorum abstinentiam & patientiam ad astra tollit, scilicet dissimulat quopotissimum ratione Lycurgus suorum mores castigaverit. Non ejecit omnem doctrinam legislator apprime doctus, imo suam Spartanis facundiam esse voluit atque solertiam. Sed agris inter cives æqualiter divisis, instituta victus communitate, prohibitoque auri & argenti usu, luxuriæ simul & avaritiæ radices resecurit. Hoc non erat tacendum.

Urbanior doctiorque civitas Athenarum, quamdiu fuit mediocris, florebat bene morata. Sed parto cum opibus imperio, jam superbire nobiles cives, jam lascivire etiam plebei cœperunt, maxime ex quo Pericles largitionibus ac prope quotidianis de publico ærario factis ludis plebem demulcebat. Hinc inertia & factiones, vanaque garrulitas, nec non illa ingeniorum intemperantia.

Quam sanare cum Socrates vellet, utique non omnem scientiam amovebat, sed argutias Sophistarum

starum retundere amabat, multisque præceptis efficiebat ut purgatis tandem auribus juvenes veri notitiam combiberent. Nec ejus discipulus Plato barbariem in suam civitatem, sed optima documenta invexit, utpote qui diceret florere regna si Reges philosopharentur.

Obj. *Post cæsum Perseum subactosque Achæos (e)
Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio.*

Eodem vero tempore

. *Sævior armis*
Luxuria incubuit.

Nonne igitur ex artibus in Latium illatis depravata fuisse videtur Romuli civitas?

℞. Primo si quæras qualibus artibus Latium Græcia ornaverit, reperies non alias esse quam quæ ad elegantiam pertinent. Aliæ enim, quotcunque sunt artes, utiliores, earum peritissimi dudum erant Romani; nec sine illarum adjumento urbem tam florentem tamque potentem effecerant. Recte vero Græculos illius ævi jam degeneres & sub barba pallioque ineptientes, naso suspendebat adunco Vir gravis M. Porcius Cato; ipse tamen severiorum Musarum cultor, ipse Juris & antiquitatis scrutator peritissimus, ipse de agricultura, de gestis virorum præstantium, de præ-

(e) Horat. Ep. 2. L. 11.

præceptis moralibus stylum exercens; scilicet inanis scientiæ, non omnis, contemtor.

Porro corruptæ Urbis causas, si indagare velis, non aliunde melius accipies quam a Romanis Scriptoribus, maxime a Sallustio, cujus hæc sunt verba: (f) „ Ubi reges magni bello domiti, nationes feræ & populi ingentes vi subacti, Carthago æmula imperii Romani ab stirpe interiiit, cuncta maria terraque patebant; Fortuna sævire ac miscere omnia cœpit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, oneri miseriamque fuere. Igitur primo pecuniæ, dein imperii cupido crevit. Ea quasi materies omnium malorum fuere. Postquam divitiæ honori esse cœperunt, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia haberi cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere. „

Vides a Crispo Musas nullo crimine onerari. Ac nedum quenquam a discendo & scribendo deterreat, „ eos vilipendit, qui vitam silentio trans- eunt veluti pecora, rectiusque judicat ingenii „ quam virium opibus gloriam quærere. „ (g)

Ad extrema tempora descendere propero, quæ homini Satirico pessima & inquinatissima videntur,

(f) In bello Catilin.

(g) Ibidem in proëmio.

tur, scilicet ex quo, litterarum cultura, post diuturnam barbariem, in orbe nostro instaurari cœpit.

Quasi vero ante sæculum decimum quintum pulchrior esset Europæ facies! Evolvat igitur insulsa Chronica, & videbit, per illas mediæ ævi tenebras irreplisse in Ecclesiam errores scœdissimos, erectam Papalem tyrannidem, Monasticas opes cum disolutis moribus auctas, eos quicumque in sacris dissentient, igne ferroque vexatos, bella immaniter gesta, arma in Palæstinam furibundo quodam entusiasmo illata, neque ullo tempore majorem fuisse licentiam rapinarum, odiorum, perjuriorum, cœdium, stuprorum, veneficiorum, denique omnis generis nequitiae. Sed posteaquam scientiarum lux cum litterarum amore refulsit, jam superstitio de sua vi multum remisit; jam mitigati sunt animi, & ad honestiorem placidioremque vivendi modum traducti. Quæ comitas, etsi fraudes haud raro tegit, commodior tamen est atroci illa & barbarica violandi juris audacia.

Quod vero clamant relanguescere nunc animos & bellicam extinguere virtutem id equidem nego atque pernego. Nam tametsi corporis viribus armorumque pondere minus valent nostri homines, quid refert, cum mutata jam armorum ratio plus in milite solertiæ postulat quam roboris? Nec minus Syracusæ olim Archimedis Scientiæ quam aliorum civium lacertis defensæ sunt. Disciplina autem militari, nec non fide erga duces, & pugnae ardore, & fugiendi pudore, & in sustinendis
peri-

periculis constantia, & ne quid in se probri admittant verecundia, excellere hodiernos exercitus quis non videt?

Verumtamen de moribus ætatis nostræ quæcunque tandem sit iudicium illud liberalium artium existimationem nihil tangit; nec si quid de prisca frugalitate sit amissum id oriri putandum est ex eo quod deterfa est barbaries ævi antecedentis. *Post hoc, ergo propter hoc:* id solet esse plebis inconsideratæ iudicium, quod Logici vehementer reprehendunt.

Nimirum, Auditores, casu quodam accidit, quo sæculo litteris suis honor restitueretur, eodem sæculo ad Indos, in extremam Africam, in Americam navigando iter patefieri, unde auri & argenti, nec non mercium ad delicias pertinentium copia ingens ad nos quotannis comportatur. En tibi certissimam præsentis morbi, scilicet luxuriæ cum avaritia crescentis causam. Quod facile intelliges si attendas quinam illi sint qui lautiores epulas, numerosum servitium, purpureas vestes, aureumque in domo lacunar mirantur atque expetunt. Eos homines esse videris qui quantum affluunt auro, tantum egent scientia, suntque, ut plurimum, ingenio futiles, ac disciplinarum osores. At vero quicumque scientias artesve exquisitius colunt, eos cernimus esse cibi parcos, labori deditos, simplicisque munditiei amantes:

*Bene est cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.*

Hi villas in regium morem ædificatas *anlaque
superbæ postes invidendos* rident. Hi laudant auream
mediocritatem. Hi de ingruente luxu, tamquam
de peste ingeniorum conqueri solent. Hi clamant
per istas sæculi nugas vanasque illecebras præstan-
tioribus scientiis & artibus pretium suum decedere.

Quo autem luculento & propinquo nobis exem-
plo intelligas, quam facile bonæ artes comitem lu-
xuriam recusent atque repudient, intuere, quæ-
so, statum Helvetiæ, speciatim aliquot Civitatum
quæ laudabili adhuc morum gravitate haud secus
ac eruditionis & summæ industriæ luce gaudent.
Vel si mavis, reminiscere in hac nostra urbe tunc
maxime floruisse litteras, quando minus ibidem
pecuniæ minusque deliciarum erat.

Ergo, candide adolescens, [nam plura com-
memorare hora non sinit] credere noli ullam esse
Musis cum Venere & Baccho junctam societatem.
Seorsim habitant; sanctæ sunt; luxum & iner-
tiam spernunt, cultoresque suos a corporeis ad
spiritualia, a terrenis ad cœlestia tollunt. Quas si
amare, ut facis, pergas, cum ista tua ingenii per-
spicacia, istisque moribus; valde confido fore ut
non minus inter bonos cives & Christianos incul-
patos quam in doctorum choro emineas, atque ita
propriam nomini tuo referas laudem ex pietatis
simul ac eruditionis nexu efflorescentem. Quod
quidem jam de Te augurari, mihi, utpote tui
Patrisque optimi amantissimo, perdulce est.

T A N T U M.